

antea, vel quibus consuetæ è nare vel utero excretiones supprimuntur, mos erat venam tundere, iis hæmorrhoides oboriuntur. Hæc omnia enim sanguinem accumulant, illumque impurum ac crassum generant. Quando enim deficit motus in sedentaria vita sanguis & humores non libere ventilantur, illorumque perspiratio impeditur, copiosæ sordes viscidæ in venis colliguntur, superfluous humor non excluditur, unde stases sanguinis circa venam portæ & viscerum infarctus suboriuntur, qua de causa otiosi & tranquillitatem sectantes, litterati, monachi, præ omnibus affectu hypochondriaco, qui quasi fons hujus inordinati fluxus est, corripuntur. Sanguinis enim per motum divisio ad vitam & sanitatem valde necessaria est. Motu, exercitatione crassus melancholicus sanguis comminuitur, corrigitur, dividitur, unde robur ac calorem viscera aditusque corporis accipiunt. Disponunt porrò ad fluxum prædictum victus nimis crassus, & immoderatio usus ciborum salinorum, duratorum atque viscosorum, qui crassum ac fœculentum humorem ac sanguinem natura suâ apti sunt ingenerare, quando quidem talis modis cibis excoquendis tenerum fermentum ac calor imbecillis sufficere haud potest, unde crudus minus spirituosus nascitur chylus, qui crudum & crassum procreat sanguinem a visceribus non facile subigendum ac subtilisandum, sic temperamentum sanguinis nascitur a veteribus dictum melancholicum, & faciei color ad viriditatem inclinans, qui experimento *Foresti* pathognomonicum hæmorrhoidibus laborantium signum est. Et hanc ob rem viris & senibus qui propter defectum spirituum seu caloris nativi crudum & copiosum sanguinem facile

B 2

colli-